



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Tubal Lamechi Filius. Hypotyposis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Et qui flebili saculo non flevisse,
Exinctus ridebere.

TUBAL
LAMECHI FILIUS.
HYPOTYPOSIS.

Ex alia in aliam vocaris musicam, Viator,
Auras plectro demulsit Jubal?
Aures malleo Tubal obtundit.
Ille tibiæ repertor, hic gladii.
Utrumq; noris ab uno satum Lamecha,
Nam effœminatus, ac ferus Pater,
Titulum divisit Hæredibus.
Hinc alter effœminatur ad cantum,
Alter effertur ad arma.
Dubitas de magistro?
Cerne tam diræ artis rudimenta,
Dicestam bonum ingenium à malo Genio,
En ut ipso propè de Tartaro
Vulnificum ferrum serutatur veneficus,
Vides, ut sibilantes circum caminos
Fumosus cursitans Faber,
Anhelantes agitat folles;
Qui toties animati & exanimes,
Alternum spiritum flammis inspirant?
Illic crudus artifex ferrum coquit,
Flammis domitum malleo cruciat,
Et ferreo ferrum flagellat.
Quæris cur tam ferum sit ferrum?
Suas in nobis vindicat plagas,
Et vulneribus eruditur ut vulneret.
O dira vitæ fastidia?
Brevem vitam fecit Natura,
Brevissimam culpa, Ars nullam.
Inventus est Caini Nepos, qui Caino invidiam demerces
Ille mortem vocavit, hic alas addit:
Ille in campum duxit, hic armat:
Ille fecit ut mortalis mori possit,

Hic

Hic ut nemo vivus securus vivat :
 Ille unum occidit, hic quantos:
 Quoties quisq; ferro cadet: in hunc clamabo;
Ferrens erat, qui ferrum reperit.
 At malo tuo malam artem exerces Tubal.
 Ferrum cudis, ferro cades:
 Parricidam fecisti Patrem;
 Cæderis à Patre.

S E T H

A D A M I F I L I U S .

S I M I L E S .

Hactenus prava germina.
 Nunc sacra, & diuturna,
 Mala tempora melioribus pensantur.
 Quicquid Adamo sustulit Cain, Adamus orbireponit.
 Ea geminum cum Abele Sethum.
 Idem, & alius ab eo est.
 Eadem frons, Religio eadem, idem Animus:
 Junge nomina, totos junxeris.
 Itaque iero partu fœcunda Mater,
 Duos peperit in uno, vel bis peperit eundem.
 Non perit Abelis innocentia, sed defaultavit in Fratrem,
 Diceres tam grandem animam,
 Non uno contentam corpore, gemina implevisse
 Aut geminandæ Parentum voluptati,
 Bis natum esse unum.
 Nec in uno quidem stabit.
 Exhibet generis in victi linea nobilis
 Et Patria virtus semel agitata
 Agét se in succidaneos Heroas.
 Felicioribus illi aratris beabunt:
 Gregibus, ac Reges leges ponent.
 Ingenuas artes ingenio extudent.
 Tempa Deo, Templis Vates vovebunt.
 Decidit passim execranda fratricidæ propagō,
 Et Abelis nitorem
 Irrupta Sethi Gentilitas diu retinebit:

Metso-